506 86

DEO OPT· MAX·
VIRGINI DEI-PARÆ
ET S. LUCÆ ORTODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis agitanda disputationibus in Antonianis Medicorum Remensium Scholis.

Die vigesimâ Octobris horâ octavâ matutinâ.

Clarissimo Viro RODULPHO LELARGE Professore Antoniano Præside.

An incipienti pleuritidi tuta catharsis?

PERICULOSIS affectibus pleuritidem annumerare ne dubites. In eo siquidem inhæret lateri lethalis arundo. Eorum quos misit ad plures vix reperias numerum; nullus in hominum vitam invadit frequentiùs; morbus est omnium anni temporum, hyeme grassatur, & æstate, verè, & autumno, frequentiùs tamen ver inter & æstatem, cuilibet familiaris regioni, sivè sis Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an argis, ex æquo illi obnoxius es, proprius utrique sexui & cuilibet ætati, æquo pulsat pede masculum & feminam, juvenem & senem; licet huic ut plurimum sit lethalis, ob virium infirmitatem, illi verò maximè periculosus propter morbi vehementiam; Pleuritidis duplicem constituerunt speciem, non à Materiâ nec à causâ morbi, sed à situ sumpto discrimine; spuriam dixerunt eam quæ musculis costis incumbentibus insidet, hanc sanè meliùs tumorem lateris diceres quàm

pleuritidem, nam pleuritis vera cujus nomen à Græco *apo tou pleuros*, id est à latere quod occupat, est inflammatio membranæ costas succingentis quæ aliquando cum musculis mesopleuriis communicat, quos alibi pertingunt varii dolores, minùs aptè pleuritides appellabis; quemlibet lateris dolorem pro pleuritide habere, errare est; afficiunt thoracem dolores atrocissimi à quibus abest febris, respiratio stat facilis, pulsusque permanet æqualis, hos sanè pleuritides appellaveris immeritò: sed horum signa sunt diversa. At veræ & spuriæ pleuritidis causæ, signa, & symptomata ferè sunt eadem; in illa tamen graviora sunt omnia, in hâc verò remissiora; non enim tam urget febris acuta quæ utrique est assidua, respiratio nec difficilior, etsi frequens & parva, pulsus neque tam durus & tensus, licet inæqualis & frequens, dolor lateris non æquè pungens & distendens, sed pressione & decubitu excandescens, quod in verâ pleuritide minimè accidit, quia morbus internus undè decubitus in latus ægrum facilis, in sanum verò maximè molestus & gravis; deorsum etenim propendens tumor pondere membranam distendit, & dilacerat; Tussis utrique initio sicca, qua nihil emolitur dum tensa remanent omnia; at hæc in verâ pleuritide elapsis aliquot diebus fit humida, exit quippè sputum album & tenuè quod mox sequitur cruentum, cui purulentum confectò paré.

II.

APtè si curare volueris, morborum non te fallat origo, & caveas pro junone nubem corripere. Fœlix sanè qui potuit rerum cognoscere causas, quas tenebris offundit non solùm opaca rerum caligo, sed & systematum logodædaleorum farrago mirabilis, fingendique & opinandi effrenata libido. In morbis hic suum commendat Archæum, quem iratum enixè studet placare, furentem mulcere, territum confirmare. At quis hæc chimeras spectráque volitantia non diceret? te juvat ô pyrophile acidorum & alkalium ordinata acies humoribus impacta, quàm alevi qualibet causa in motus agis horrendos, sed dicas velim undè motus? Et eris mihi magnus Apollo. Hîc delectatur fermentatione celebri illa machina, cui quidquid accidit boni vel mali in corpore, donat. Ille toto crepitat ore viscerum obstructiones infarctus humorumque saburram, hæc autem omnia morborum effectus non causas esse quis non videat? fœtus non parentes, opera non opifices? quid enim habent humores quod non acceperint? Quorsum igitur iis tantùm arro-

gare ? Qui in venis & arteriis laudabilis eſt ſanguis dùm pinſitur, nullique non aptus uſui ſi momento huic trituræ & motui ſubducitur, fit rudis & indigeſta moles morbos tantum apta producere. In morbis ergo vitiari humores rotundè fateor, ſed vitium à ſolidis mutuare fabio vel judice vincam. Reclamas ? miror equidem ; exemplo ſit pleuritis, hanc ſanè non aptiùs quam à nimia criſpatura & tenſione fibrarum partis ejus cui inſidet tumor, repetes. Sivè enim frigore à balneo, refrigeratione à violento motu, aëre & potatione frigidiori, ſolemnium vacuationum ſuppreſſione & multis aliis à calore vel à frigore ortis, ſolitò magis criſpantur & intenduntur fibræ, tunc ad contactum criſpaturarum hærere incipit ſanguis, cujus ut plurimum aucta moles eſt ab impedita tranſpiratione, ſi prætereà tantilla eſt in parte diſpoſitio, oritur tumor qui de novo ſemper adveniente ſanguine, brevi in molem augetur maximam, cui dira accedunt ſymptomata pro ratione partis laborantis : humor ergo ſtagnans moráque vitiatus tumorem parit & morbum, at humoris motum quid minuerit penes non occæcatas mentes judicium eſto. Non ampliùs itaque pleuritidem committat ſerum acre, acidum, & corrodens; nec ſolidorum delicta luant humores immeriti, cum quidquid habent vitii, ſolidis acceptum referant, turbatumque ſolidorum elaterem laxitate, vel tenſione ſequatur à tergo humorum labes. Cum autem pleuritis fibrarum nimiæ tenſioni & criſpaturæ ortum debeat, vides in earum laxitate & mollitiè reſtituenda totum verſari curationis cardinem. Illa ergo placent remedia quæ amiſſum tonum illis reducere valent, ſecus repudianda judico.

III.

AT quis catharſim mollitiem & laxitatem ſolidis inducere poſſe audeat aſſerere. Hæc etſi benignioribus tentetur medicamentis, ſitim, calores tormina & ſexcenta alia ſolet movere, quæ irritando opere fungi plus ſatis denotant. Quid ergo vis commodi pariat in pleuritide incipiente dum tenduntur & inflammantur omnia ? Huic non modò non auxiliabitur ſed in pejora convertet omnia. Miraris ? immeritò ſanè. Inceptam etenim ſolidorum irritationem & criſpaturam partibus ſuis actibus adaugebit, conſenſúque ſanguinis motum ad criſpaturas hærentis, qui in obices criſpaturarum offendens circum clauſtra fremet & agmine facto viam ſibi claudet ; undè profectò tumoris & morbi non imminutio, ſymptomatumque mitigatio, ſed morbi benigni & ſalutaris in ancipitem mutatio, cui plerumque pallida mors hujus morbi cataſtrophe.

Sed his ut eas obviam presto est venæsectio quæ celeriter & multoties repetita omne feret punctum, at ut in festinatione securitas (non enim in pleuritide cunctando restitues rem) ita in eâ iteratâ una manet salus. Primis ergo temporibus si audacem in illa celebranda te prestiteris mille prevenies mala. In magnis inflammationibus ad animi deliquium sanguinis missio specificum est. Horrescis! nutantem video fidem in medicinæ proceres, & naturam te nescire; Habet homo undè obruatur potius quam deficiat. Astantium igitur lachrimæ volvantur inanes, & quo te ducit indicatio pergas immotus; incassum clamitent purpuream fundi cum sanguine vitam; prestat cum pauco effugere sanguine quàm eo servato mori; in eo intrepide effuso stat tutissima pleuritidis anchora; sic laxitatem & mollitiem solidis induces, humoribusque fluiditatem; Tantus enim est consensus fluidum inter & solidum, ut laxata fluidi compage phlebotomia, laxetur oportet solidi rigiditas tensio & crispatura; tum fit doloris pungentis remissio, sensim imminutio febris, pulsus ex obscuro fit exterior, quod sanè hic vires scalpello non minui indicat, respiratio fit facilior, vigiliis, inquietudinibus & caloribus molestis succedit benigna tranquillitas. At omnem adimplebis paginam, si phlebotomiæ connubio jungas diligentem diætam. Quot bone Deus, ex orco revocavit aurea illa tenuitas in victu! quot in vado posuerunt ptisana tenuis hordeacea & avenacæa affatim propinata Dii Deæque nosti! frequentius videas effugere eos quibus res angusta domi est cum aquâ liberali, & jusculis tenuissimis quàm lautè & opipare viventes, cum apozematis jusculis & ptisanis adeò compositis pretio potiusquàm effectu commendabilibus. Non eget natura laborans ut reficietur, sed undè morbum & ejus causam eliminet, tensionem nempè relaxet & molliat, sanguinemque lentescentem diluat; his ut facias satis ecce adest tenuis liquor sanguini fluiditatem conciliaturus, ejus circulum renovaturus, anacatharsim juvaturus, quam alio frustrâ tentabis auxilio initio morbi dùm tensa remanent omnia; & quod precipuum est non sat optandam restiturus oscillationem. Quòd si pertinaciter contendis illam fluidis & solidis inducere mollitiem purgatione vel aliis auxiliis incipiente pleuritide, nihil ex intento obtinebis, & medicum te fateberis ore, opere verò negabis.

IV.

DE Casthâ̄ti equidem quid cogitas? putas forsitan manum esse Dei, quæ malum altis defixum radicibus evellit & eradicat, intactis

partibus quibus insidet ? mendosè ~ sanè. Artis est opus quod si naturam non obsequentem reperiat, patataque omnia, præceps ruit in eâ quæ sibi sunt obviam, latèque suum populatur iter. Sed ut noscas ex ungue leonem attende ad purgantia; constant partibus acribus, punctoriis, gravem sensum inferentibus, non alium ab eo arsenicorum & mercurialium, timeas ergò ea etsi dona ferant, nam latet anguis in herba. Horum acredinem acidam constituere huic placet, illum juvat alkcalinam, alium sulphureo-salinam, sed de his adhuc sub judice lis est, eam tamen stare in situ figura & dispositione partium misti mallem asserere, his namque mutatis mutatur vis purgans, servatis servatur. Quam linguæ & palato inurunt sensationem, internis partibus non inferre fuge suspicari; non facilè mutat indolem quod naturâ deleterium est. Ea irritando & non secus ac vesicatoria agere non dubito. Quid sit ergo pariturum mali purgans si in solida tensa & inflammata occurrat ? oleum sanè addet camino. Ex his quot & quanta inducant pericula in pleuritide incipiente purgantia conjice. Aucta solidorum vis eorum irritatione fluida ad contactum crispaturarum hætentia in majorem motum agere nititur, sed irrito conatu, fluidum mora vitiatum ad currendum factum est inhabile, crispatura etiam quæ primo leviter ejus motui obsistebat, nunc mitè intensa omnino viam præcludit, continuata tamen irritatione à purgante videas cruciatus, tormina, vigilias, vertigines, malos pulsus, defectiones animi, convulsiones, & alia bene multa dira induci Symptomata non in mollitiem & laxitatem solidorum referenda in quibus stat pleuritidis fuga, cui incipienti ediametro opponitur purgatio. Mussitas? injuria haud dubiè. Bellè prodeuntem sistit expectorationem amonetque futuram; indurando quæ mollescere incipiebant; nihil ex affectâ parte detrahit, sed humores mirè turbando, miscendo & movendo bonum & malum verrit promisquè, secum fert rapidè, viaque vi facta qua data porta ruit. Nec credas tamen præcipuam vim exercere in fluida, solida namque impetunt purgationum fulmina, quæ mobum adaugent nedum minuant febrem absentem cogunt corripere gradum, præsentem intendunt, multorumque malorum ingerunt semina, serius ocyus apparitura, rarò enim antecedentem scelestum deseruit pœna pede claudo. Quot equidem purgantium usu initio morbi, (sed malis ægri rebus) factæ sunt pleuritidis in peripneumoniam mutationes ! vim inferendo naturæ crises benignas, salutaresque morborum solutiones impediunt, & quod ultima meta malorum est accersunt ventris profluvium mirè admodum dejiciens corporis robur non satis servandum,

ut pote argento venale nec auro. Ex his inferre quid vetat initio pleuritidis nequicquam tentari solidis mollitiem inducere catharsi, remedioque graviore morbo inferri damnum minus reparabile, quod mox secuturum est læthum ineluctabilius.

V.

QUem ergo mortis timent gradum medici qui non perpenso solidorum statu in pleuritide incipiente, statim ad emeticum dulces sanè delicias confugiunt & advolant, quo sanctæ sibi minorationis prætextu indomitam properando purgandi rabiem sedare, commotionem omnibus partibus inferunt, undè multorum labes prima malorum. Exulant igitur à medicina vehementiora illa emetica, barbitonsoribusque linquantur quibus uti donamus tanquam gladio delphico, & iis velut ex sacro depromptis tripode, impunè primas vias verrere nitendo, Corpus subvertant malumque pejus priore infligant, quasi caput amputarent hydræ. Errat proculdubio qui putat intra abdominis cancellos totam vim suam exercere emeticum, semel devoratum solidorum mobilitate viget, & vires acquirit eundo; nec sequitur à tergo quæ illud propinavit manus, ut illius temperet iras. Sed surdis cano. O utinam tantùm hi memores essent Præcepti illius decalogi, non occides, vitam sanè hominis non committerent pharmaco in cujus actione aleæ & timoris omnia plena, quidquid enim præstant miraculi emetica, id fortunæ non virtutis opus & consilii, franguntque non solvunt nodum. Nec certè equidem iis melior sententia menti, qui pleuritidis initio contrà fas sudoribus movendis student enixè, & in iis constituunt salutem; solvit, fateor, sudore morbum natura, eoque curationem terminat, non vero inchoat. Caveas ergo criticos habere sudores incipiente pleuritide obortos, laborantis sanè non se liberantis naturæ sunt indicia; at sudorificorum insidias ab eorum partibus edisce. Constant partibus sulphureoalcalinis, sulphuro acidis, sanè alcalino nitroso ammoniacali, ab horum nomine dolos & vires concipe, si tempore non apto exhibueris, dum nempè tenduntur & inflammantur omnia, sudorem tunc non elicient, at utinam in umbra luderent nullamque inurerent labem, sed vi protrudent tenuem ichorem, ægris lethalem. Quot bone Deus! ut malignitatem absentem præcaverent sudores movendo, sitim molestam, inquietudines, deliria, phrenitides, & alia induxerunt horrenda symptomata potiora sanè præsentis malignitatis indicia, quam huc usque in Medicina fecit solidorum & fluidorum mechanices imper-

fecta cognitio, sine qua Medici, sunt sine luce faces. Purgationum sudorumque pleuritidis initio parcum cultorem & infrequentem videas alium, sed præcipitem in anacatharsim quam pro viribus molitur, at decidit in scyllam cupiens vitare charibdim. Anacatharsim juvare morbo devicto utilius nihil, nihil laudabilius, victoriam enim supponit non tradit, immò obest initio morbi; partibus suis tenuibus expectorantia, concussiones, tensiones, caloresque inferunt molestissimos, quibus stantibus nihil cedet ex proposito. Nec laude dignandos eos judico qui, quasi Annibal ad portas inceptam venæ sectionem continuò nulloque interjecto tempore, post habitoque virium statu, percelebrant, salus namque stat in viribus quas non subitò dejiciat, sed iis parcat oportet Medicus, non timidè, sed prudenter & cautè; nam in pleuritide bis peccare non vacat. Hac arte & scopulosas vitando illecebtas anacatharsis, sudorum, & præcipuè purgationum quibus initio hujus morbi nusquam tuta fides, facilè pleuritidem debellabis, ægtumque brevi sanitate beabis. *Ergo incipienti pleuritidi non tuta catharsis.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Rodulphus Lelarge Scholarum antiquior Magister, Professor Antonianus & Præses.
M. Nicolaus Demailly Professor Scholarum.
M. Petrus Lepescheur Professor Antonianus.
M. Gerardus Lefils Consiliarius Medicus Regis & Decanus.
M. Ægidius Culoteau Professor Scholarum.
M. Jacobus Bernard Professor Scholarum.
M. Jacobus Hezet.
M. Fracifcus Mimin.

Asserebat Remis FRANCISCUS D'ARGNIES Abbavillæus Artium Magister & Medicinæ Baccalaureus anno R. S. H. 1704.